nostra ad sinistram partem aliquantulum obliquata¹ ad dexteram partem saxum reliquit. Navis vero reliqua, cum jam vicina scopulo confringenda et submergenda foret, submissis velis et projectis anchoris substituit² et quasi miraculose per gratiam Dei evasit illesa³. Quidam autem ex navi predicta argentum et aurum⁴ suum in navem nostram projecerunt. Inde autem navigantes cum ventum valde contrarium haberemus, iuxta aliam insulam portum, prout potuimus, recepimus, ubi fere per quindecim dies moram fecimus. Cum⁵ continue tempus contrarium haberemus, et hyems valde appropinquaret⁶, jam de transitu fere desperabamus timentes valde, ne in alia insula oppoteret nos hyemare. Dominus autem navis nostre volebat omnes pauperes de navi nostra eicere et in insula relinquere, eo quod victualium sufficienciam non habebant. Ego vero⁷ valde supplicabam, quod adhuc misericordiam⁸ expectaret et pauperes mortis periculo non exponeret. Dum⁹ autem nullo modo vellet acquiescere, Dominus¹⁰ immisit nobis subito tempestatem validam, ita quod quindecim anchore, quas in mare projecimus, vix possent navem nostram retinere, quin periremus. Prora autem nostre navis nunc attollebatur¹¹ ad sydera, nunc ad¹² abissum mergebatur. Hec autem tempestas per duos dies et duas noctes continue¹³ duravit, ita quod quidam de nostris, dum ventorum impetum vix possent sustinere, castellum¹⁴ deponentes confregerunt; quidam autem pre¹⁵ timore mortis nec manducabant, nec¹⁶ bibebant. Ego vero nichil coctum manducavi, nullus enim ex¹⁷ navi audebat ignem accendere. Quum vero bibebam, cifum una manu tenebam, altera, ne caderem vel cifum effunderem, me fortiter detinebam. Quoniam vero timebamus, ne aqua nobis deficeret, linteamina nostra ad pluviam extendebamus, ita quod duplex commodum reportabamus; dum linteamenta nostra ablueremus et aquam ablutionis biberemus. Hec autem tempestas a mentibus plurimorum peccatorum ejecit tempestatem. Multi enim cum lacrimis ad confessionem venerunt, qui per multos annos in peccatis permanserant. Mercatores autem et potentes signum crucis de manu mea receperunt¹⁸, quibus ad Dominum clamantibus immisit nobis Dominus aeris serenitatem et venti commodum¹⁹ nobis a parte posteriori tribuit auxilium post tribulationem ita, quod

1. B obliquata est aliquantulum et. — 2. B subsistit. — 3. B illesa evasit. — 4. B aurum et argentum. — 5. B ibidem. — 6. B appropinquabat. — 7. B autem supplicabam ei. — 8. B addit: Dei. — 9. B Dominus. — 10. B noster subito immisit nobis. — 11. sic Ga; G attolebatur. — 12. B in. — 13. sic Ga; G continuo; B omittit. — 14. B addit: navis nostre. — 15. sic Ga; G pro. — 16. B neque. — 17. B in navi nostra ignem audebat accendere. — 18. B acceperunt. — 19. B commodi.

paucis diebus juxta Siciliam et Creten navigantes, relinquentes a parte sinistra Sillam et Caribdim, a dextra vero parte¹ Mitellenam, in qua beatus Paulus, confracta nave sua, hyemavit et, dum sarmenta colligeret, serpens eum momordit (Actor. XXVIII, 1—7). Salutantes insulam Cipri per pisces maximos, qui sequebantur et precedebant navem nostram et circa eam ludendo saliebant, intellexerant ut autem² naute, quod non multum a terra remoti essemus. Sexta autem feria post festum Omnium Sanctorum ad portum civitatis Acconensis applicuimus. Universa autem civitas obviam nobis occurrens cum gaudio magno nos suscepit. Inveni autem civitatem Acconensem tanquam monstrum³ et belluam IX capita habentem sibi invicem repugnancia. Erant ibi Jacobite cum archiepiscopo⁴ suo, qui more Judeorum parvulos⁵ circumcidebant et nulli preter Domino peccata sua in confessione aperiebant. Alii vero ex ipsis non circumcidebantur et sacerdotibus peccata sua confitebantur. Sed uno digito tam isti quam illi signum crucis facientes se signabant. Feci autem sermonem ad eos in ecclesia sua per interpretem, qui sciebat loqui lingua Sarracenorum, ostendens eis, quod, si circumcidebantur, Christus eis nichil.⁶ proficiebat (cf. Galat. V, 2), et quod a lepra peccatorum per sacerdotes, quorum officium est inter lepram et lepram discernere, curandi essent, quemadmodum dicit Dominus in ewangelio (Luc. VII, 14): Ite et ostendite vos sacerdotibus! Ipsi vero, verbo Domini audito, quod audire non consueverant, valde per gratiam Domini sunt compuncti ita, quod mihi firmiter⁷ promiserunt, quod de cetero se non circumciderent et confessiones suas sacerdotibus de cetero facerent; quod autem se digito uno signabant, quasi dissimulando sustinui propter unitatem essencie et Trinitatem persone; nam in uno digito sunt tres partes, sicut et nos tribus digitis in manu conjunctis nos signamus in⁸ nomine Trinitatis et unitatis. Quidam⁹ autem postea¹⁰ secreta significavit, quod ideo uno digito se signant¹¹, quod tantum in Christo unam voluntatem esse¹² credunt, cum tamen¹³ alia sit voluntas divinitatis, alia humanitatis, quarum una alii subicitur, sicut scriptum est in ewangelio (Luc. XXII, 42): non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Inveni preterea Surianos homines, predicatorum valde corruptos; nam inter Sarracenos nutriti¹⁴

1. G omittit: parte, quod Ga et B habent. — 2. B omittit. — 3. B monstrum et sibi adinvicem repugnancia habentem. — 4. B suo archiepiscopo. — 5. B addit: suos. — 6. B nihil eis. — 7. B omittit. — 8. B omittit. — 9. B Quidam tamen mihi significaverunt. — 10. sic Ga; G propterea. — 11. sic Ga et B; G signarent; B se uno digito. — 12. B esse voluntatem. — 13. B omittit. — 14. B enutriti.

pravis eorum moribus confirmabantur¹ et secreta christianitatis quidam eorum precio subversi revelabant Sarracenis et, quia de pane fermentato more Grecorum conficiunt sacramenta, adeo nostra contempnebant sacramenta, quod de pane azimo conficimus, quod ea nolebant adorare vel capita ad illa inclinare, cum a sacerdotibus nostris corpus Domini ferebatur infirmis²; immo super altaria nostra celebrare nolebant, nisi prius illa³ abluisent. Sacerdotes eorum, licet coronas⁴ haberent, more tamen laicorum comam⁵ nutriebant et uxores more Grecorum ducebant, laicis⁶ autem suis tercias nuptias non contradicebant⁷; filie eorum velato capite semper⁸ incedebant, et nullus poterat, cujus modi essent, agnoscere nec et sponsi earum, donec eas traducerent⁹ et sibi matrimonio copularent. Ego vero ad mandatum episcopi sui tam viros quam mulieres congregari feci et¹⁰ per interpretem verbum vite eis proposui¹¹; ipsi vero per gratiam¹² adeo sunt compuncti, quod tam episcopus eorum quam subditi mihi obedientiam fecerint, et, quod secundum consilium meum viverent, mihi firmiter promiserunt. Quidam autem eorum, ut audiui, in die Epiphanie singulis annis se baptizabant. Inveni autem Nestorianos, Georgianos¹³, Armenios et, quia episcopus vel aliquid¹⁴ caput non habebant, nondum potui eos¹⁵ congregare. Inveni preterea homines ecclesie nostre non obedientes sed auctoritate sua capellanos in capellis suis ponebant et impune, quod libebat, faciebant et excommunicationis sententiam nobis latam vilipendebant, videlicet commune Januensium et commune Pisanorum et commune Venetinarum. Hii autem¹⁶ vel nunquam vel raro Dei verbum audiebant. Ad sermonem etiam meum dedignabantur venire, ego vero ad eos ivi et eis ante domos suas in vico verbum Dei proposui, qui devote verbum Dei suscipientes signum crucis, facta confessione, receperunt et ex tunc verbum Dei diebus dominicis extra civitatem, ubi predicare consuevi, corde contrito et humiliato libenter audierunt. Inveni preterea homines de terra natos, qui Pullani, quod callice¹⁷ dicitur Polani¹⁸, nuncupantur. Hii soli ad¹⁹ jurisdictionem et ad curam nostram pertinere fatebantur, vix autem unus de mille²⁰ inveniebatur, qui matrimonium suum legitime vellet custodire²¹; non enim forni-

1. B conforma . . . ; abhinc textus B lineae nonnullae illisibiles sunt. — 2. B infirmis ferebatur. — 3. B ea. — 4. B coronam. — 5. B comam. — 6. B locis. — 7. B concedebant. — 8. B semper velato capite. — 9. B ducerent. — 10. sic Ga et B; G omittit. — 11. B proposui eis. — 12. B addit: Dei. — 13. B addit: et. — 14. B aliud. — 15. B eos potui. — 16. B Hii autem nunquam sermonem Dei audiebant. — 17. B gallice. — 18. sic Ga; B Polani; G [Polains. — 19. B ad curam et jurisdictionem meam se. — 20. B inveniebatur unus de mille. — 21. sic Ga; B servare; G certo dare.

cationem credebant esse peccatum mortale¹. Erant autem delicate nutriti a puericia et carnis voluptatibus penitus dediti. Verbum autem Dei audire non consueverant, sed quasi pro nichilo reputabant. Inveni preterea homines extraneos, qui pro diversis et immensis flagitiis de partibus suis quasi desperati confugantur², qui, timore Domini penitus abjecto, nefariis operibus et perniciosis exemplis totam civitatem corrumpebant. Ultimum et omnibus aliis deterius genus hominum et amplius obturatum³ et excecatum⁴ scribas et phariseos inveni, qui tantum lac et lanam de ovibus recipientes⁵ de animabus non curantes verbo et exemplo laicos corrumpebant. Hii soli, compunctis aliis et ad Dominum⁶ conversis, verbo Domini et omni bono resistebant, ut adimpleretur, quod scriptum est: publiciani et mercenarii⁷ precedent vos in regno celorum (Matth. XXI, 31). Cum autem monstruosam civitatem ingressus fuisset et eam innumeris flagitiis et iniquitatibus repletam invenissem, mente valde confusus sum; timor et tremor venerunt super me (Psalm. LIV, 5) et contexerunt me tenebre, quia tam grave et importabile onus susceperam et pro hiis districto die iudicii⁸ redditurus eram rationem. Fiebant autem singulis⁹ fere diebus et noctibus homicidia tam manifesta quam occulta. Viri de nocte suas jugulabant uxores, cum eis displicerent. Mulieres ex antiqua consuetudine venenis et potionibus maritos suos, ut aliis nubarent, perimebant. Erant in civitate homines venenum et toxicum¹⁰ vendentes; vix aliquis alii se credebat et inimici hominis domestici ejus (Matth. X, 36). Quidam autem nobis confessus est, quod quedam animalia in domo sua nutrieat, ex quorum fimo potiones ita artificiose comparabat¹¹, quod, qui vellet inimicum perimere, inveniebat pro voluntate sua, unde posset eum occidere, ita tamen quod langueret per annum, si vellet, vel per mensem, vel, si vellet mortem accelerare, non viveret nisi per diem. Erat autem prostibulis passim repleta civitas¹². Nam quia meretrices carius hospicia, quam alii, conducebant, non solum laici sed persone ecclesiastice et quidam¹³ regulares¹⁴ publicis etiam scortis hospitia sua per totam civitatem locabant. Quis enumerare posset¹⁵ alterius Babylonis supplicia¹⁶, in quibus christiani Sarracenis servis¹⁷ baptismum negabant, licet ipsi

1. B mortale peccatum. — 2. B confugerant. — 3. B obduratum. — 4. B obcecatum. — 5. B addit: et. — 6. B Deum. — 7. B meretrices. — 8. B iudici. — 9. B fere singulis. — 10. B toxicum et venenum. — 11. B ita potiones artificiore temperabat. — 12. B civitas passim repleta. — 13. sic Ga et B; G quidem. — 14. Ga et B addunt: etiam, quod G omisit. — 15. B addit: omnia. — 16. B flagitia. — 17. B servis suis Saracenis.

Sarraceni instanter et cum lacrimis postularent! Dicebant enim¹ domini eorum, in quorum consilio non veniat anima mea (Genes. XLIX, 6): si isti christiani fuerint, non ita pro voluntate nostra eos angariare poterimus. In tanta et tam miserabili confusione² ad unicum confugi³ singulare divine pietatis auxilium: qui non vult mortem peccatorum⁴, sed ut convertantur et vivant⁵ (Ezech. XXIII, 11. 14), et qui nescit⁶ molimina Spiritus Sancti gratiae? Postquam verbum Domini, quod sanat, libenter⁷ universa et cum desiderio audire ceperunt ut⁸: ubi superhabundaverat⁹ iniquitas, superhabundavit et gratia (Roman. V, 20). Modico autem tempore ita conversi¹⁰ sunt ad Dominum, quod diebus et noctibus non cessabant ad me cum lacrimis et gemitibus currere et peccata sua cum cordibus contritione mihi¹¹ confiteri. Ego vero signum sancte crucis fere omnibus dedi injungens eis¹², ut arma et alia ad succurrendum¹³ Sancte Terre pertinencia prepararent, mulieribus vero cruce signatis injunxi, ut per¹⁴ facultates suas ad opus exercitus de pecunia sua darent; nihilominus tamen injunxi eis mediocrem pro peccatis suis penitentiam. Audientes autem¹⁵ quidam ex Sarracenis, qualiter Dominus operaretur, ad baptismum convolaverunt multi autem, ut asserebant, admoniti¹⁶ in sumpnis¹⁷ vel a Domino Jesu Christo vel beata Virgine vel¹⁸ aliquo sancto¹⁹, ab errore Machometi ad Christi gratiam se transferrent. Dicebat autem eis, ut asserunt, beata Virgo, quod, nisi²⁰ christiani fierent, in proximo advenientibus christianis et victoriam obtinentibus, misera morte²¹ perirent. Dominus autem occasione Aconensis²² civitatis aperuit mihi hostium magnum (1 Cor. XVI, 9); nam residuum terre nostre, in qua christiani habitant, ad exemplum Aconensium desideravit verbum divine predicationis audire et, recepto crucis signo²³ ad defensionem terre, sicut²⁴ se, tam²⁵ sua Domino pro peccatis suis²⁶ offerre, videlicet Tyrus, Baruth et Gibeloth²⁷ et oppidum, quod dicitur Crach, et Tortose et Margate et Album Castrum et Tripoli et Antiochia et insula Cypri habens episcopatum²⁸ cum tribus episcopatibus, preterea²⁹ Japhe et Cesarea. Hec sunt

1. B omittit. — 2. B addit: positus. — 3. B addit: et. — 4. B peccatoris. — 5. B convertatur . . . vivat. — 6. B addit: tarda. — 7. B universa libenter. — 8. sic Ga; G omisit. — 9. sic Ga et B; G superhabundavit. — 10. sic Ga et B; G conversa; B ad Dominum conversi sunt. — 11. B omittit. — 12. B omittit. — 13. B omittit: ad succ. — 14. B secundum. — 15. B omittit. — 16. B qui moniti sunt. — 17. G sumniis. — 18. B aut ab. — 19. B ut. — 20. B quod. — 21. B morte misera. — 22. B omittit. — 23. B signo crucis. — 24. B omittit. — 25. Ga et G ta; B et. — 26. B omittit. — 27. B Gibelet. — 28. B archiepiscopatum. — 29. B omittit.

civitates et oppida, que nobis Dominus reliquit, et valde indigent predicatione. Sarraceni autem adventum peregrinorum valde metuunt. Nos vero ¹ cum desiderio et exultatione expectamus auxilium de sancto et de ² fidelium peregrinorum adventu opportuno ad succurrendum ³ Terre sancte ⁴, ut hereditas Domini ab impiis liberetur et in partibus orientalibus ecclesia Domini reparetur et Sarraceni, qui adhuc timore aliorum tenentur ⁵, ad Dominum ⁶ convertantur et christiani nostri, qui in partibus Orientis sub paganorum dominio comprimuntur, liberentur. Credo autem, sicut in ⁷ multorum relatione didici, quod fere tot sunt christiani inter Sarracenos ⁸, quot sunt Sarraceni, qui cotidie cum lacrimis spectant auxilium et peregrinorum successum. Ego vero terram promissionis, terram desiderabilem et sanctam, nondum intravi, licet civitas Acras vix distat a loco habitationis Jesu Christi, ubi ipse conceptus et nutritus fuit et angelus Gabriel Virgini gaudium singulare annuntiavit, scilicet a Nazareth nisi ⁹ per octo miliaria et a monte Carmeli, ubi Elyas propheta vitam duxit heremiticam, nisi ¹⁰ per tria miliaria, quem respicio cum suspiriis, quoties fenestram domus mee aperio.

Propter metum Sarracenorum nondum loca sancta visitavi. Sed quasi ¹¹ habens aquas ad mentum ¹² nondum bibi, sed divinum expecto subsidium, quod mittit nobis in tempore opportuno, sicut mentes nostras vinculum caritatis Christi coniunxit, ita nomina vestra litteris presentibus coniungere et vobis coniunctim scribere volui, ut sit vobis commune gaudium de profectu meo et de meis defectibus communis passio. Vos autem de statu vestro et de hiis, de quibus anima mea aliquam recipiat consolationem, rescribatis. Ego vero vitam meam, donec veniat exercitus, sic ordinavi, quod, summo diliculo missa celebrata, peccatores recipio usque post meridiem, denique, sumpto cibo cum magna difficultate (meum appetitum manducandi et bibendi amisi, ex quo terram ultramarinam ingressus sum), infirmos per civitatem oportet me visitare usque ad nonam post vespervas. Post hoc vero causas orphanorum et viduarum et aliorum, quibus in justitia dicere non valeo, cum tumultu et gravamine magno recipio ¹³, ita quod dilecte tempus lectionis non habeo, nisi ad missam vel ad matutinam, vel quum aliquod modicum spacium me abscondo. Tempus autem orationis et considerationis quieto ¹⁴ noctis tempori reservavi, quumque tum ita fessus sum vel tur-

1. B autem. — 2. B omittit. — 3. B succursum. — 4. B sancte Terre. — 5. B timore detinentur. — 6. B secure. — 7. B omittit. — 8. Sequentia desiderantur in codice B. — 9. G non plus. — 10. G vix. — 11. G quamvis. — 12. G pro: ad mentum legit: adhuc. — 13. G recipia. — 14. G quieti noctis tempore.

batus, quod nec orationis nec proprie infirmitatis considerationi possum vacare. Vos autem carissimi orate pro me, ut Deus det mihi humilitatem veram et patientiam tolerandi labores ad salutem anime mee et subsidium sancte Terre, ut pius Dominus tenebras orientales illuminare dignetur et negotium Terre sancte promoveat et mihi et omnibus amicis vitam bonam finemque beatum, ut sic per bona temporalia transeamus, ut non amittamus eterna! Priusquam autem per gratiam Dei toto tempore hyemali verbum Domini Aconensibus seminavi, et copiosa multitudo corrupte admodum civitatis conversa est ad Dominum. Audientes alie civitates, quomodo Dominus operabatur, exemplo Aconensium incitati frequentes nuncios ad me mittebant supplicantes, ut ipsos caritatis intuitu visitarem. Ego vero intelligens, hostium magnum mihi esse apertum (1 Cor. XVI, 9), imminente tempore quadragesimali, licet valde difficilis et periculosa esset via et per terram Sarracenorum et maxime et per terram eorum, qui dicuntur Assasi, oporteret me transire, de Domini confidens auxilio, multis dolentibus et flentibus, iter arripui et post veniens in civitatem Tyrensem cum gaudio et devotione tam a clero quam a populo receptus sum, quibus verbum Domini diebus aliquot predicavi. Semen autem per gratiam Dei cecidit in terram bonam, sicut omnes¹ (cf. Matth. XIII, 8), facta peccatorum confessione, signo crucis recepto, se et sua Domino optulerunt. Vidi autem puteum aquarum, super quem dicitur, quod Dominus requievit, cum veniret ad partes Tyri et Sydonis, de quo ad litteram dicit Salomo in canticis (IV, 15): Puteus aquarum viventium, que fluunt impetu de Lybano. Mons autem Lybanus non longe remotus est a loco illo, et subterraneos² meatus aquarum copiose usque ad locum illum defluentes constituunt puteum magnum quasi parvum lacum, qui vero non habet, ut credo, sibi similem in toto mundo. Milites vero Tyrenses armati conduxerunt me usque ad Sareptam Sydoniorum, ubi per noctem moram feci predicans christianis, quos ibi inveni, verbum Domini et ostendens, qualiter inter Sarracenos commendabiliter deberent conversari, ne nomen Domini propter ipsos blasphemaretur inter gentes; ipsi vero in civitate Sarracenorum valde erant corrupti, et ego fraudem Machometi et execrabilem eius doctrinam pro posse meo eis detexi, eo quod quidam eorum quasi inter legem christianorum et Sarracenorum hesitantes claudicabant (cf. 1 Reg. XVIII, 21). Visitavi autem modicam capellam in agris extra civitatem derelictam, ubi Elyas venit ad viduam in Sarepta ligna colligentem. Inde vero transi-

1. G omittit: sicut omnes. — 2. legendum esse videtur: subterranei.

turus in Berithum et civitatem Sydoniensem, quam tenent Sarraceni, premisi nuncios, ut milites civitatis mihi obviam venirent, qui mihi occurrentes cum multitudine armatorum per terram Sarracenorum me et meos duxerunt. Archiepiscopus autem Sarracenorum, qui habitabat Sydonem, inter Sarracenos extra civitatem mihi pedes occurrit. Transivi autem per locum, ubi mulier Cananea post Dominum clamans: et de micis, que cadunt de mensa dominorum suorum, catulos edere (Matth. XV, 27), cum omni humilitate asseruit. Ad pedem autem montis Libani reliqui duos fontes, scilicet Jor et Dan, unde Jordanus fluvius habet initium et inde nomen sortitus est Jordanus. De monte autem Lybano, quum maximus est in estate calor, affluit nix et sub palea custoditur et care venditur, ut vino commisceatur ad temperandum et reddat frigidum vinum. Postquam autem aliquot diebus moram feci in civitate Berithi et eis verbum Dei predicavi, omnibus signatis tam mulieribus quam viris et etiam parvulis, signato domino civitatis cum militibus eius, transivi ad civitatem Bibly, de quo dicitur in libro Regum (III Reg. V, 18), quod senes Biblii transmittabant ligna de Lybano ad edificandum templum Domini, qui cum gaudio magno a¹ minimo usque ad maximum me recipientes, audito verbo Dei, compuncti sunt ad penitentiam. Erat autem civitas illa valde corrupta et episcopus loci pauperrimus, sed liberalis et humilis, qui cum Domino civitatis et universo populo signum crucis receperunt. Inde vero transiturus Tripolim reperi vineas, que bis in anno vindemeantur, et fontem irrigantem multitudinem ortorum, de quo dicitur in Canticis (IV, 15): Fons ortorum ad litteram. Cum autem appropinquassem Tripolim, comes civitatis et princeps Antiochie cum multis militibus obviam mihi venerunt, in qua civitate oportuit me pugnare ad bestias Ephesi (cf. 1 Cor. XV, 32). Videns autem, quod ad Dominum universalem converterentur, in eadem civitate moram per mensem feci, et quia communis lingua civitatis erat lingua sarracena, per interpretes frequenter predicabam et confessiones audiebam. Inde vero transivi ad oppidum, quod dicitur Cracum, qui conjunctus est terre eorum, qui Assasi nuncupantur; ubique autem occurrebant mihi cum magna devotione viri et mulieres et parvuli. Cum autem non auderemus premittere nuncios, mittebamus colombas ferentes litteras nostras sub alis, ut homines civitatis nobis occurrerent, propter metum paganorum. Inde vero venimus ad oppidum quoddam Templariorum, quod dicitur Castrum Album. Fratres autem milicie Templi, postquam ibi per dies aliquot verbum Dei predicavi, conduxerunt me cum manu armata usque ad civitatem, que dicitur

1. G et.

Eratheradus, sic dictam, eo quod sita sit ante insulam Erradii, in qua columpne quondam erant vitree, in quibus Petrus invenit nobilem mulierem, matrem beati Clementis, que mendicabat in insula illa, et eam filio suo reddidit, qui eam per multos annos amiserat. Est autem in civitate illa, que modica est, sanctissima capella, quam beatus Petrus, dum transiret Antiochiam, in honore beate Virginis edificavit, que fuit prima ecclesia in honore beate Virginis, ut dicitur, edificata, in qua Dominus tot miracula facit, quod non solum christiani, sed et etiam Sarraceni ad eam causa peregrinationis veniunt. In qua ecclesia postquam missam celebravi, facto sermone ad populum, duos Sarracenos baptizavi. Cum autem ad hospitium reversus fuisset, quidam ex illis, qui dicuntur Assasi, me secutus fuerat per mare et terras, ut me interficeret; ab conversis ad fidem manifestatus captus est et incarceratus, et ita Dominus de manibus eius me liberavit. Inde vero transivi cum manu armata in civitatem quandam habentem oppidum munitissimum, quod castrum dicitur Margant, in quo cum per dies aliquot verbum Dei predicassem, proposueram per mare transire in Antiochiam. Dominus enim civitatis cum clero et populo magno desiderio adventum meum prestolabant. Patriarcha vero Iherosolymitanus misit mihi litteras, ut reverterer, eo quod passagium imminebat et expectamus adventum peregrinorum. Inde vero reversus Tripolim proposui navigare Ciprum. Galeas armari feci; rex enim Cipri misit mihi litteras cum nuntiis suis. Expectavi autem per dies quindecim et ventum ydoneum habere non potui. Audiens autem, quod quidam de heremitis Nigri montis, qui grece dicitur Nero, transisset in Cyprum habens crucem in carne impressam, quam beata Virgo, ut asserebat, suo pectori impresserat et eum in Cyprum miserat, nolui illuc ire, nam heremita ille regem et clerum et populum cruce signaverat, et ideo evadens per gratiam Dei pericula mortis plurima reversus sum ad civitatem nostram. Acconenses autem absentiam meam moleste ferentes frequenter de civitate exhibant, dum diceretur eis, quod ego reverti deberem. Cum autem per dies plures mihi obviam exirent, postquam certum nuntium de adventu meo acceperunt, cum mulieribus et parvulis mihi obviam¹ occurrerunt. Nunc autem in civitate Acconensi frequenter ad mare respicio cum lacrimis et desiderio magno expectans adventum peregrinorum. Credo enim, quod si .iiij^{or}. millia e militibus armatorum haberemus, per gratiam Dei, qui nobis resistere valent, non inveniremus². Est enim magna discordia inter Sarracenos, et multi pro certo errorem³ suum agnoscentes, si audent et haberent auxilium Christianorum, converterentur ad

1. G addit: mihi. — 2. G invenerimus. — 3. G terrorem.

Dominum. Credo autem, quod christiani habitantes inter Sarracenos populos sunt minores quam Sarraceni. Multi autem reges christiani habitantes in partibus Orientis usque in terram presbyteri Johannis audientes adventum cruce signatorum, ut eis veniant in auxilium, movent guerram cum Sarracenis. Sarraceni autem, quia multas et varias habent sectas, valde inter se sunt divisi. Quidam autem legem Machometi tenent, alii parvi pendent, unde contra mandata Machometi vinum bibunt, carnes porcivas comedunt nec se more aliorum Sarracenorum circumcidunt. Vetulus montane abbas est religionis fratrum cutellorum¹, qui non tenent aliam legem, nisi quod credunt per obedientiam salvi fieri, quidquid eis precipiatur, et ii dicuntur Assasi, qui occidunt tam Christianos quam Sarracenos. Sunt alii Sarraceni, qui dicuntur occulte legis; legem enim, quam tenent, nulli nisi filiis suis, quum iam sunt provecete etatis, revelant, ita quod uxores eorum, quod mariti eorum credunt, ignorant, qui prius promittunt, se interfici, quum alicui², nisi filiis suis, secreta legis sue manifestent. Sunt alii miserabiles et sine aliqua lege homines, qui dicunt, quod in die iudicii, quum Deus quæret: Quare non servastis³ legem Iudeorum⁴? respondebunt: Domine, non tenebamur eam servare, quia non eam suscepimus⁵ nec Iudei fuimus; quare non custodistis legem christianorum? Domine non tenebamur, quia christiani non fuimus similiter⁶ nec legem Sarracenorum debuimus servare, quia non fuimus Sarraceni, et ita per privationem aliorum in die iudicii credunt evadere, cum tum dicat Dominus (Matth. XII, 30): Qui non est mecum, contra me est. Inveni alios, qui dicunt animas mori cum corpore, unde quilibet agunt tamquam bestie pro sua pessima voluntate. Quia vero in terra Sarracenorum predicare non poteram, in finio terre Christianorum et Sarracenorum, quum poteram, predicabam et per litteras, quas eis trans mittebam in sarraceno scriptas, errores eorum et legis nostre veritatem eis ostendebam. Multi autem ex Sarracenis filios suos per sacerdotes Surianorum baptizari faciebant hac sola intentione, ut diutius viverent. Inter illos autem, qui christiano nomine censentur, multos inveni, qui ex defectu sane doctrine in fide nostra maxime errant, qui principaliter in quatuor partes sunt divisi. Suriani autem sunt greci; Spiritum sanctum a solo patre procedere dicunt. Nestoriani vero in Christo duas personas asserunt, sicut in eo sunt due nature et due voluntates, unde, licet Christus sit Deus, dicunt Mariam fuisse matrem Christi, non tamen Dei; et tales erant omnes, qui sunt in terra presbyteri Johannis, sicut mihi dixit quidam mercator,

1. G cultellorum. — 2. G aliqui. — 3. G servasti. — 4. G Iudeorem. — 5. G eam non suscipimus. — 6. G scilicet.

cum nuper inde venerat, qui omnes de novo facti sunt Jacobite, qui dicunt, unam tantum esse in Christo naturam et unam voluntatem, sicut unam personam. Humana enim natura absorpta est, ut false asserunt, a divina, sicut gutta aque, que funditur in vino, a vino absorbetur. Patriarcha vero Maronitarum cum archiepiscopis et episcopis suis et populo Maronitarum sibi subdito, relictis omnibus erroribus, catholice et obedientie sancte Romane ecclesie se subdidit, et multi, tam de hereticis in partibus orientalibus commanentibus quam de Sarracenis, si sanam doctrinam audirent, facile, ut credo, ad Dominum converterentur. Vos autem orate Deum, qui nichil odit eorum, que fecit et omnes homines vult ad agnitionem veritatis venire, ut ipse in diebus istis orientales tenebras illuminare dignetur, amen. Orate pro me et pro meis et specialiter pro capellano meo, fidelissimo socio meo, Johanne videlicet de Cameraco!

5.

Findlinge.

Reuchlin. Wimpfeling. Hutten. Erasmus. Berus.

Von

Gustav Knod.

I. Zu Johannes Reuchlin.

Im Anschluß an die von Ludwig Geiger in den letzten Jahren gelegentlich gegebenen Nachträge zu seinem Briefwechsel Reuchlin's (vgl. besonders Zeitschrift f. vergleichende Litteratur und Renaissance-Litteratur, N. F., Bd. IV) sei hier ein bisher unbekannt gebliebener Brief Reuchlin's an Rudolf Agricola mitgeteilt, der in einer Abschrift des Beatus Rhenanus auf uns gekommen ist. Dieselbe befindet sich auf der inneren Seite des Deckels des Sammelbandes Nr. 350 der Bibl. Rhenana auf der Stadtbibliothek zu Schlettstadt eingeklebt, und zwar als Anhang zu Joannis Reuchlin Phor | censis. ll. doctoris in septem psalmos | poenitentiales hebraicos interpretatio de uerbo ad uerbum, & super | eisdem commentarioli sui, ad | descendum linguam